



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

lis qui in Sacris sunt constituti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

TIT. XXII. DE IIS QUI IN SACRIS, &c. 3<sup>r</sup>

extremis agentes absolvere; Nec non, sed tantum Episcopo permittente, aut extremâ necessitate urgente, baptizatos sacro chrismate linire, virgines Deo dicare. *c. 1. & seqq. 26. qu. 6. & c. Presbyteris. 119. de consecrat. dist. 4.*

Nulla modo Ecclesias erigere, consecrare, reconciliare, sacrum chrisma conficere, Clericos ordinare, excommunicare, pœnitentes publicè reconciliare: Quæ Episcopis reservata. *d. c. quamvis. dist. 68. & c. 1. vers. ad Episcopum. dist. 25.*

*De iis qui in Sacris sunt constituti.*

TIT. XXII.

**S**equuntur ii qui non sunt Sacerdotes, sed tamen in Sacris: quales sunt *Diaconi & Subdiaconi*; qui etiam abusivè *Sacerdotes* dicuntur: illi enim propriè sunt, quibus permissum sacrificium corporis & sanguinis Domini in altari perficere. *c. 1. vers. Sacerdos. dist. 31.*

*Diaconi, & Levitæ* dicti, sunt Episcoporum & Ecclesiæ ministri. *c. dominus noster. 25. §. meminisse. dist. 23.*

Episcopum enim debent prædicantem, ne ipse lædatur, aut divina verba per detrectatores polluantur, custodire; Sacerdotibus celebrantibus in omnibus assistere; Euangelium ad populum prædicare; *c. 1. vers. ad Diaconum. dist. 25.* Non, nisi extrema id, ob longam Episcopi aut Presbyteri absentiam, necessitate urgente, baptizare, aut Eucharistiam populo erogare. *c. constat Baptisma. 16. de consecrat. dist. 4.*

*Subdiaconi* (sic dicti, quia *Diaconi* præceptis & officiis subjacent. *c. Cleros. dist. 21.*) debent calicem & patinam ad altare deferre, *Diaconis* tradere, eis ministrare; urceolum, aquam, mantile, manutergium tenere; Episcopis, Presbyteris, *Diaconis* aquam ad altare pro lavandis manibus præbere. *c. 1. vers. Subdiaconos. dist. 25.*

Et *Diaconi & Subdiaconi* fiunt per manus impositionem



nem (quæ est oratio super hominem. *c. 74. manus impositio. 1. qu. 1.*), ritibus propriis & solennibus cuique ordini adhibitis. *dist. 23. per tot.*

*De iis, qui nec in Sacerdotio, nec in  
Sacris sunt.*

T I T. XXIII.

**Q**ui in minoribus ordinibus sunt, *nec sunt in Sacerdotio, nec in Sacris*; Sine enim Sacramentali unctione, sola Episcopi benedictione cum quadam vasorum vel indumentorum distributione ordinantur.

Tales sunt, qui primam tonsuram tulerunt; *c. cum contingat. 11. ubi Gl. & Dd. de atat. & qual. ut Psalmista, Ostiarii, Lectores, Exorcista, Acoluthi*; quibus omnibus sua munia sigillatim sunt divisa.

*Psalmista*, sunt cantores: qui cantandi officium, jubente Presbytero, Episcopo etiam inscio, suscipiunt. *c. Psalmista. 20. dist. 23. c. 1. vers. ad Psalmistam. ubi Gl. dist. 25.*

*Ostiarii* sunt, ad quos claves Ecclesiæ pertinent; ut templum Dei claudant & aperiant, & omnia quæ intus extraque sunt custodiant, fideles recipiant, excommunicatos & infideles ingressu arceant. *c. 1. §. ad ostiarium. dist. 25.*

*Lectores* sunt, qui sacras scripturas ex suggestu in Ecclesia populo legunt. *d. c. 1. §. ad lectorem.*

*Exorcista*, qui catechumenis & energumenis manus imponunt, & solennibus quibusdam imprecationibus & obsecrationibus dæmones fugare credunt; à Salomone, unà cum exorcizandi modo inventi. *secund. d. c. 1. §. ad exorcistam. c. Cleros. §. exorcista. dist. 21.*

*Acoluthi*, qui lumina præparant, cerea & funalia deferunt, suggesta pro Eucharistia Subdiaconis præparant. *d. c. 1. §. ad Acoluthum. dist. 25. d. c. Cleros. §. Acoluthi.*

His omnibus citra excommunicationis pœnam, à solo  
Ponti-